

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Terentivs,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope  
innumerabilibus|| emendatus.||**

**Terentius Afer, Publius**

**Venetiis, 1558 [erschienen] 1559**

Scena I.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](#)

## ACTVS QVINTI SCENATI.

THAIS, PYTHIAS.

- Th. Ergin' scelesta mecum perplexe loqui ?  
 p. Scio, nescio : abiit : audiui : ego non affui.  
 Non tu istuc mihi dictura aperte es,  
 quicquid est ?  
 virgo consessa ueste lacrumans obticet,  
 Eunuchus abiit, quamobrem ? quid factum est ? taces ?  
 Py. Quid tibi ego dicam misera ? illum eunuchum negant  
 Fuisse. Th. quis fuit igitur ? Py. iste Chærea.  
 Th. Qui Chærea ? Py. iste ephebus frater Phædriæ.  
 Th. Quid ais uenefica ? Py. atqui certo compéri.  
 Th. Quid is obsecro ad nos, quamobrem adductu' est. Py.  
 nescio,  
 Nisi amasse credo Pamphilam. T. hem misera occidi,  
 Infelix, si quidem tu istæc uera prædicas.  
 Num id lacrumat uirgo ? Py. id opinor. T. quid ais sa=  
 crilega ?  
 Istuccine interminata sum hinc abiens tibi ?  
 Py. Quid facerem ? ita ut tu iusti, soli credita est.  
 Th. Scelesta, ouem lupo commissi. dispudet,  
 sic mihi data esse uerba. quid hominis illic est ?  
 Py. Hera mea tace, obsecro, saluæ sumus : hominem  
 habemus ipsum. T. ubi is est ? P. he ad sinistrâ, nō uides ?  
 En. T. uideo. Py. comprehendendiube, quantum potest.  
 Th. Quid illi facies stulta ? Py. quid faciam, rogas ?  
 Vide amabo, si non, cum aspicias, os impudens  
 videtur. Th. non. Py. tum, quæ eius confidentia est.

ACTVS



E V N V C H V S T

A C T V S Q V I N T I S C E N A I I .

C H A E R E A , T H A I S , P Y T H I A S .

Ch. Pud Antiphonem uterque , mater , & pater ,  
a Quasi dedita opera , domi erant , ut nullo  
modo

Introire possem , quin uiderent me . interim  
Dum ante ostium sto , notus mihi quidam obuiam  
venit . ubi uidi , ego me in pedes , quantum queo ,  
In angiportum quoddam desertum , inde item  
In aliud , inde in aliud . ita miserrimus  
Fui fugitando , ne quis me cognosceret .

sed est ne hæc Thais , quam video ? ipsa est . hæreo .

Ah , quid faciam ? quid mea autem ? quid faciet mihi ?  
Th. Adeamus . bone uir Dore , salue : dic mihi ,

Aufugistin' ? CH. hera , factū . Th. satin' id tibi placet ?

Ch. Non . Th. credin' te impune habiturum ? ch. unā hanc  
noxiam

Mittē : si aliam unquam admisero ullam , occidito .

Th. Nū meā sœuitiā ueritus es ? ch. non . Th. Quid igitur ?

ch. Hanc metui , ne me criminaretur tibi .

Th. Quid feceras ? CH. paululum quiddam . py. echo , paul  
lulum impudens ?

An paululum esse hoc tibi uidetur , uirginem

Nitiare ciuem ? CH. conseruam esse credidi .

py. Conseruam ? uix me contineo , quin inuolem in  
Capillum . monstrum , etiam ultro derisum aduenit .

Th. Abi hinc insana . py. quid ita uero ? debeam ,  
Credo , isti quicquam furcifero , si id fecerim ;

presertim

AVIDA